





**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**  
**GOTTLIEB**  
**VVERNSDORFIVS**  
**S THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL**  
**ITEMQ ALVMNORVM SAXON**  
**EPHORVS**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
**S P D**



**S**perat Europa, et auspiciis omnibus recre-  
ata, sperat, fore, ut ex tot tantisque malis, quo-  
rum mole laborat, tandem aliquando, facta re-  
rum commutatione, sese emergat. lactauit hostis  
robur gentis suae, selegit et obiecit duces calli-  
dissimos, ostentauit auspiciis regii sanguinis,  
et tamen isto, quem in immensum auxit, ter-  
rore meliorum duces partium non retardauit,  
sed alacriores ad rem gerendam fecit. Non  
audet e portu egredi, nedum classe decernere,  
neque apparatus oppugnandae urbis multo in-  
structissimum, et per medias legiones deducen-  
dum, adoriri, neque in acie aspicere uictorem  
exercitum, et, omnibus iam ad dimicandum  
comparatis, mauult nihilo minus cedere, quam  
obsidione caput Belgii Flandrici soluere, moe-  
nibusque defensum, et munitionibus operum se-  
ptum, ac delectae manus praesidio firmatum, op-  
pugnatorum tamen impetum non sustinet, et,  
clade pro irritum conatum commeatu intercipienti  
accepta, debilitatus, ac uirtute fractus, me-  
tuque perterritus, dedit urbes munitissimas, quae  
claustra Galliae continent, ac portus insulasque,  
e quibus maris interioris principatus tenetur.  
Haec dum terra marique geruntur, iustissimi, et  
Inuictissimi, communis causae Propugnatores  
triumphos agunt, et Socii tropaea statuunt Reges,  
cumque alioquin in bello nihil contemnere soleant, et,  
uictoria

victoria sic uti uelint, ut uictores se ipsos uincant: tantum tamen periculi nec uident amplius, nec uerentur, quin, republica foris constituta, et hoste in consilia pacis non obscure inflexo, cogitent de familia domi constituenda. Non maiori rerum conatu, quam administratione, insignis ad memoriam est hic annus, non minus tamen trium Regum Sociorum, et Potentissimorum, connubiis commemorabilis: quorum unus CAROLVS III cum ELISABETHA CHRISTINA, Guelfa, in Hispania Citeriore, nuptiarum solemnia regali magnificentia celebrauit: alter IOANNES V, in Lusitania, MARIAM ANNAM, Austriam, Sponsam Regiam, maritimis fluctibus iactatam, incredibili desiderio expectauit, sed nunc classe Britannica appulsam, in matrimonium breui recipiet: tertius autem FRIDERICVS, Rex Pruthenorum Potentissimus, SOPHIAM LOVYSIAM, Megapolitanam, hoc, eodemq. auspiciatissimo, tempore in manum sibi datam, laetus accipit, et amoris optatissimi foedere in perpetuum sibi coniungit. Inspectat haec, literisue nunciata resciscit, Germania, et honore, ac felicitate foecunditatis suae, gloriatur, quae Sponsas tres Regias, in hoc Regiae atque Augustae fertilitatis Seminario genitas, tulit, aluit, cultu perfecit, demum et Regibus dedit, splendore, quem merebantur, ornandas. Omnes uero, qui Europae libertatem saluam uolunt, omen accipiunt, et illas tres Sponsas perinde, ac totidem Gratias, terrarum delicias, et mansuetudinis, concordiae, fideiq. inter gentes reparandae, nuncias, intuentur, atq. in spem recuperandi ueniunt otii, cum uident, eos, qui armis uinci non poterant, amore uinci, et, qui armis terrarum orbem subigere parabat, hunc, armis labefactatum, consilia pacis inire. Habeat sibi Gallia honorem, cuius causa necessitatem dissimulet, pacis, in Europa damno suo instaurandae, sed illius pacis, ad quam restituendam piis, et uictoricibus, Sociorum armis adacta est. Reginorum trium Sponsorum ea non commenticia est gloria, hos, ullo uicinorum metu periculorum commotos, sua Foederatorumq. uirtute illa pacis reddendae

dendae consilia maturasse, et trium Sponsarum amplexu uelut qui-  
eti, et securitati, uti speramus, optamusque, proluisse. Nos, qui  
longinqua, et transmarina, relinquamus aliis, uicinos autem Rega-  
lium nuptiarum apparatus propius, admiratione defixi, cognosca-  
mus: audemus in praefens Par Regium, quo fieri oportet demis-  
sissimi cultus obsequio, uenerari, excitati pietatis officio, quo Rex  
Sapientissimus, et fugientium Stator artium Indulgentissimus, Rem-  
publicam literarum, multis ornamentis auctam, sibi deuinxit.  
Regi conuenit in manum Sponsa, quae domus incrementis, et  
fastigio, necessitudines Regias attingit, atq. a priscis Obotri-  
torum Regibus ducit genus, et decus consimile, maioribus e-  
reptum, ac potius cum meliori bono religionis Christianae com-  
mutatum, auspicato recipit, Coronamque, quam ad Bucephali caput,  
gentilitiis insignibus expressum, in regiae stirpis memoriam, ad-  
iunxerat Karolus IV Imperator, cum augustiore Diademate Aquilae  
Prussiae commutat. Ducit Sponsam FRIDERICVS, quae  
cum Plotina Traianum, cum Isabella Ferdinandum suum, colit:  
pluris est, ut dicamus, ducit FRIDERICVS SOPHIAM LOVY-  
SIAM, omnis, quae Reginam ornet, laudis uiuum ac spirans ex-  
emplum, et quae una damnum reficiat Incomparabilis CHAR-  
LOTTAE. Ita uero non magis dignitati consulit Rex Fortuna-  
tissimus, quam animum explet, cumq. Par Regium amore inter  
se cerret, et animi, tam arcto uinculo colligati, nullo uitae fortu-  
naeque casu diuelli uelint: nemo non intelligit, matrimonium fore  
non magis tranquillum, et deliciis omnibus optatius, quam om-  
ni regiae prosperitatis genere cumulatum. Sperant hoc ciues,  
optant foedere et amicitia iuncti, Europa omnis, qua ius fasq. colit, com-  
precatur, et cum Musis, tanti Conseruatoris, et Amplificatoris, praesidio  
in dignitatem uindicatis, atq. in fidem clientelamq. Regiam receptis, illa-  
precatur Academia, quae Regi, per Saxoniam ad fontes Boemiae Karoli-  
nos eunti, cultu affuit, ab eoq. perclementer accepta, et luculenta Regiae  
Gratae testificatione exhilarata, felici euentu uoti, pro salute Regis tum  
publice suscepti, maximopere laetatur. Singulari uero sensu priuatae re-  
ligionis, qua Patri Patriae Optimo Maximo coniungitur, motus, subiectis-  
simam gratulationem publica, et solempni, oratione complectetur, Vir Cla-  
rissimus, M. GVILELMVS VVILCKIUS, ortu Prussus, meritiuissimus Ordinis  
Philosophorum Collega Ascriptus, et nobis cum aliis exquisitoris do-  
ctrinae, uirtutumq. eximiarum exemplis, tum hoc, laudis plenissimo, prae-  
standae pietatis officio, magnopere probatus. Vos, Ciues Academici,  
huius, quae sumus, rei memoriam adhibete, et cras ab H. IX. matutina Pa-  
negyrin hanc, in Templo Arci coniuncto, sacro festoq. ritu instituendam,  
concione frequenter concelebrate, atq. Oratorem nostrum, moratum sane,  
et ornatum, et dicendi facultate alibi iam cognitum commendatumq. ue-  
stra audiendi beneuolentia subleuate. P. P. VI. Kal. Decembris,  
anno recuperatae salutis cto. lxx. cux

Ung VI 3

W 18  
V 17







DIRECTOR  
 E VITEMBERGENSIS  
**T L I E B**  
**NSDORFIUS**  
 OCT. ET PROF. PVBL  
 VMNORVM SAXON  
 EPHORVS  
**S ACADEMICIS**  
 S P D

